



The Holy See

FRANCISCUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

CONSTITUTIO APOSTOLICA

*MAKOKOUENSIS**

PRAEFECTURA APOSTOLICA IN GABONE AD GRADUM VICARIATUS APOSTOLICI
ATTOLLITUR
IMMUTATIS FINIBUS ET NOMINE

Undecim abhinc annos quam Veneratus Decessor Noster Sanctus Ioannes Paulus II ecclesiam
communitatem Makokouensem Praefecturam Apostolicam constitui iure voluerit, laetissimi quidem
interea tantis cernimus effloruisse catholicae pietatis navitatisque progressibus, ut ea nova
altioreque collocatione inter Ecclesias particulares novoque ideo canonico gradu in praesens
dignissima prorsus videatur. Quo profecto auctu non solum ipsi Praefecto Apostolico, undecim
inibi annos indefesse assidueque operanti, necnon toti clero, merita laus tribueretur, verum etiam
copiosiores pastoralis curae fructus exspectari in posterum posset. Hac ideo de re, ex consilio
Congregationis pro Gentium Evangelizatione, audito etiam Venerabili Fratre Ioanne Romaeo
Pawłowski, in Gabone Nuntio Apostolico atque Archiepiscopo titulo Seinensi, necnon aliis quorum
interest, Apostolica Nostra usi potestate Praefecturam Apostolicam Makokouensem ad Apostolici
Vicariatus dignitatem, iisdem finibus eodemque nomine servatis, attollimus, factis iuribus et
concessionibus congruis. Hanc praeterea Ecclesiam, duce scilicet Vicario ipso Apostolico, sollicitis
credimus Oyemensis dioecesis peculiaribus curis, exoptantes profecto precantesque ut haec
Matris Ecclesiae aestimatio et Christi Vicarii constitutio plurimum deinceps aedificando carissimo
Makokouensi gregi proficiant. Volumus vero ut haec iussa Nostra exsequenda curet Venerabilis
Frater Ioannes Romaeus Pawłowski, quem diximus, vel qui eo tempore, quo haec decreta ad rem
adducentur, Apostolicae in Gabone Nuntiaturae praeerit. Qui autem negotium perfecit exactae
rei documenta, rite subscripta, ad Congregationem pro Gentium Evangelizatione mittet. Contrariis
quibusvis causis neququam obsistentibus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die undecimo mensis Iulii, anno Domini bis millesimo decimo quarto, Pontificatus Nostri secundo.

FRANCISCUS PP.

De mandato Summi Pontificis

Petrus Parolin

Secretarius Status

Franciscus Bruno, *Protonot. Apost.*

Leonardus Erriquenz, *Proton. Apost.*

*AAS, vol. CVI (2014), n. 11, pp. 815-816.

©Copyright - Libreria Editrice Vaticana